



CL. TIBERIVS pater Tiberij Cæsaris, Quæstor sub C. Cæsare, Alexãdrino bello classi præpositus, plurimum ad victoriam contulit: quare & pontifex in locum P. Scipionis substitutus, & ad deducendas in Galliã colonias, in queis Narbona & Arelate erant, missus est. Cæsare occiso, cunctis barbarum metu abolitionem facti decernentibus, etiam de præmiis tyrãnicidarũ referendum censuit. Tandẽ indignè ferens nec statim se in conspectum Sexti Pompeij admissum, & fascium vsu prohibitum, ad M. Antonium traiecit in Achaiam: cum quo breui, reconciliata inter omnes pace, Romam rediit: vxorẽmq; Liuiam Drusillam, & tunc grauidam, & antè iam apud se Tiberium enixam, petenti Augusto concessit: nec multò post diem obiit, vtroque liberorum superstite, Tiberio, Drusóq; Neronibus. Sueton. in Tiber.

LIVIA Drusilla Cl. Tiberij supradicti vxor, Tiberij imperatoris mater fuit, de qua dictum à nobis est in fine prioris partis huius operis. hanc prægnantem abduxit Augustus: porrò qui cõceptus erat, infãs, immaturus est editus: is est Drusus Tiberij Imperatoris frater minor natu, ac Claudij Cæsaris, qui Caligulæ successit, pater: fuit alter Drusus Agrippinæ & Tibe. Impe. filius. Cæterùm in osculis Liuiæ, & in hac voce defecit Augustus, *Li-  
uia nostri coniugij memor viue, ac vale.*